



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 5. Quænam requiruntur ad celebrandum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

nem augendam. Excipitur casus necessitatis publicæ, dum Ecclesia est diruta, ne populus sacro careat, vel deest, ut in castris, & in litore maris. c. 30. ead. imò nunc in mari celebratur ex licentia Papæ.

*Resp. IV.* Jure communi, Missa non debet ante auroram absolvi, nec post meridiem inchoari, ex Missali Roman. & consuetudine generali. Excipitur 1. Missa Nativitatis Domini. 2. Casus necessitatis conficiendi Eucharistiam pro Viatico. 3. Ex consuetudine vel tacita licentia in pluribus locis hora antevertitur, vel differtur, & in hyeme in gratiam opificum vel similium pluribus horis ante solis ortum celebratur. Porrò per auroram intelligitur prima lucis irradiatio, quæ excepto tempore utriusque æquinocitii durat per horam cum dimidia, & aliquando per duas horas pro diversis mensibus. Unde unâ horâ & dimidiâ ante solis ortum sacrificare licet. Dicunt multi, licere uno aut altero quadrante post meridiem inchoare Missam, ex causa rationabili, v. g. ob supplicationem, vel concionem publicam protractam ultra meridiem.

*Q. 5. Quenam requiruntur ad celebrandum?*

*Resp.* Sub mortali requiruntur. I. Lapidem Altare ab Episcopo consecratum, fixum, aut portatile tam amplum, ut hostiam & majorem partem Calicis capiat, ut docet Missale Rom. Portatile amittit suam consecrationem,  
cum

cum nulla pars contrafacti lapidis Calicem cum Patena capere potest. Fixum suam perdit tum per fractionem illam notabilem, tum etiam per separationem à loco suo sive basi, c. 3. de consecrat. Disputant, an Reliquiæ Sanctorum sint necessariae ad consecrationem altaris, & an si locus seu sigillum, continens reliquias, frangantur, aut auferantur reliquias, Altare consecrationem amittat.

2. In Altari tres mappæ, ab Episcopo vel alio habente potestatem benedictæ, Superiori saltem oblongâ, quæ usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel unâ duplicatâ, quæ pro duabus habetur, ex Rubric. Missal. & ex c. 27. dist. 2. de consecr.

3. Calix & Patena consecrata ab Episcopo, vel alio, ex privilegio Papæ, debent esse ex Auro, aut Argento, vel cogente paupertate ex Stanno, c. 44. & 45. de consecrat. dist. 1. & Missale Romanum ait: *debet esse vel Aureus, vel Argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam & simul cum Patena itidem inauratâ.* Calix amittit suam Consecrationem, ideòque non licet eo uti. 1. dum cuppa Calicis fixi separatur à pede per fractionem; quia consecratio cadit in totum Calicem per modum unius indivisibiliter: secùs, si pes sit tornatilis; nam tunc consecratio cadit in solam cuppam. 2. Si interior cuppæ superficies denuò inaretur; quia aliam habet superficiem non consecratam, quæ tamen debet esse con-

consecrata ob contactum immediatum Eucharistiæ: idem dic de Patena. Neutrum tamen amittit consecrationem, etsi perdat paulatim Aurum quo inauratum est, quia id quod remanet erat consecratum; neque si quis ea sacrilegè adhibuisset in usus profanos, vel si ab Aurifice resarciatur, modo nulla fiat fractio notabilis, aut mutatio superficiei interioris Cuppæ, vel Patenæ; nam id nullibi jus statuit.

4. Corporale lineum mundum, benedictum ab Episcopo, vel alio potestatem habente, sufficiens ad commodè continendum Calicem & Hostiam c. 46. *de consec. dist. 1.* item Palla similiter benedicta & linea saltem qua parte Calicem tangit: & Purificatorium lineum.

5. Lumen ex c. *ult. de celebrat.* ex Missali Rom. & consuetudine requiruntur duo luminaria cerea: tamen in casu necessitatis unum sufficit, imò juxta aliquos aliud lumen ex alia materia.

6. Crucifixus exsculptus, nisi expositum sit SS. Sacramentum.

7. Missale, nam est instrumentum necessarium; memoria enim labilis est, & non licet in actione tam sacra se exponere periculo errandi, vel omittendi aliquid.

8. Vestes benedictæ ab Episcopo, vel alio habente hoc privilegium, nempe Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola & Casula.

Ita

Ita ut si quid horum desit, omittenda sit Missa; quia actio, quæ debito modo fieri nequit, potius omittenda est, quam indecenter exercenda. Ista amittunt suam benedictionem per lacerationem seu fractionem, & imminutionem notabilem, per quam desinunt esse apta ad usum suum: ut si ab Alba manica separetur; si cingulum ita rumpatur, ut nulla pars ad cingendum sufficiat: secus, si pars fracta sufficiat, nam hæc manet benedicta ob retentam aptitudinem ad usum proprium: item totum cingulum manet benedictum & aptum, si antequam frangatur, remedium adhibeatur connexioni fortiori partium, etiamsi per nodum. Juxta S. Antonin. & alios licet uti stolâ pro manipulo vel cingulo, & manipulo pro stola, si sit satis longus, quando aliter fieri nequit; quia hæc omnia sunt benedicta, & apta ad talem usum: si priusquam figura vestis destruat, ad eam reficiendam assuantur paulatim aliqua, etsi ea non sint benedicta, eadem vestis moraliter benedicta manet: nam accessorium non tollit principale, sed ejus naturam sequitur; nisi tanta huic accessio fiat, ut possit penè novum censer.

9. Minister, isque masculus, non foemina, ex Missali Rom. & c. 1. de cohab. Cler. ibi: *Nulla foemina ad altare presumat accedere, aut Presbytero ministrare.*

Hæc autem omnia requiruntur sub mortali, ob Ecclesiæ præceptum, & universalem

consuetudinem, vim Legis habentem in re gravi, utpote pertinente ad reverentiam Eucharistiæ, & debitum modum sacrificandi.

Q. 6. *Quenam circa hoc observanda sunt?*

Resp. *Sequentia.* 1. Nihil licet addere vel detrudere iis, quæ in Missali præscripta sunt, ut vetat Trid. sess. 22. & Pius V. in virtute S. obedientiæ præcipit, ut Missa juxta ritum, modum, ac normam Missalis Romani legatur, & ne quis in celebratione Missæ alias Cere-  
monias, vel preces, quàm quæ hoc Missali continentur, addere, vel recitare præsumat. Quod intellige, *salvis*, Ecclesiarum usibus; nam quædam Dioceses habent Missale proprium, & in aliquibus diversum à Romano. Item Urban. VIII. mandavit in omnibus & per omnia servari ab omnibus ubique Rubricas Missalis Romani, ut videre est initio ejusdem Missalis. Quæ obligatio ex genere suo gravis est, cum sit imposita in virtute S. obedientiæ, & de re ad cultum divinum pertinente. Unde illam violare est mortale vel veniale, pro quantitate, vel qualitate rei aut actionis omissæ vel mutata; gravius verò in Canone: sic mortalis est omissio elevationis Hostiæ consecratae, immisionis particulæ Hostiæ in Calicem, &c. In additione verò levitas materiæ rarò locum habere potest, ob injuriam, quæ inferitur Ecclesiæ usurpando potestatem ei propriam statuendi ea, quæ ad ritum celebrandi